



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Capvt. LXXXIII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

Vita Ioannis senis monasterij Scopuli.

CAPVT LXXXII.

Ioannē quendam senem in eodem monasterio vidimus, de quo dicebant nobis eiusdem loci patres. Verè, Christiani, magnus est senex demonibusq; terribilis. Quicumque enim huc venerit vexatus ab immundo spiritu, curat eum continuo senior.

CAPVT. LXXXIII.

Dicebant nobis & hoc de illo ipsius loci Patres, quòd ad vigesimum quartum milliariū monasterij emporium est quod Exile promontorium dicitur. In eo emporio nauclerus quidam, constructa naui triginta millium modiorum, volens eam in mare deducere, duas hebdomadas cum operarijs plurimis egit (habebat autem quotidie trecentos operarios) nec potuit illā de loco suo mouere, aut in mare deducere. Fuerat enim à pessimis hominibus incantata nauis. Erat igitur in magna tribulatione, & angustia dominus nauis, & quid ageret, omnino ignorabat. Per dispensationem, aut Dei abiit senex ad partes illas. Nauclerus aut, conspecto sene, agnoscensq; sanctū virum, ait illi: Ora, domine Abba, pro nauī istā, per artes enim magicas in mare descendere non potest. Dicit ei senior: Vade, fac vt cibum sumam, & Deus iuuabit te. Hoc aut dixit senex, vt nauclerus abiret domū, Cū verò ille abiisset, accessit senex solus nauem, & tertio se in terram¹ prosternens, & orans Deum, tertio signauit nauim signo sanctæ² Crucis in nomine Domini nostri Iesū Christi. Veniēs deinde senex

Bb

in do-

in domum naucleri, dixit illi: Vade ad nauclerā tuam, & deduc illam in mare. Nauclerus autem credens verbis senis, abiit cum paucis, illisq; trahentibus, mox in mare deducta est nauis.

1 *Ecce oratio cum prostratione.*

2 *Vide mirum effectum signaculi sancte Crucis.*

Vita, & mors anachoreta eiusdem Monasterij serui Dei.

C A P V T. LXXXIIII.

EIusdem monasterij patres narrauerunt nobis, dicentes: Anachoreta quidam in his montibus erat, magnus valde secundum Deum, plurimos annos vitam solitariā ducens. Mortuus est autem in parua quadam spelunca, nobis nescientibus. Arbitrabamur enim omnes, quod ad aliam eremum migrasset. Nocte verò quadam venit in somnis, & apparuit ei, qui nunc est pater noster, bono, & optimo pastori, Abbati Iuliano, dicens: Sume tecum aliquos, & veni, tollent me de loco, vbi iaceo, in monte, qui vocatur Ceruus. Sumpsit igitur quosdā ex nobis pater noster, & ascendit in montem, quem ille dixerat. Cū per plures horas quæsissemus, non inuenimus Anachoretę reliquias, Erat enim speluncę ingressus pro tempore niuib; & lignis coopertus. Cū ergo non inuenissemus, dixit senior: Venite ascendamus, filij. Cūq; descendere inciperemus, ecce caprea venit, & stetit non longē à nobis, cepitq; pedib; suis humū fodere. Quod cū pater noster aspiceret, dixit nobis. Credite mihi, filij, illic sepultus est seruus Dei. Fodientes igitur inuenimus corpus eius integrū: quod sublatum in monasterium, cum honore sepeliuimus.